

aliquot epistularum collationis denuo a se factae specimen obferret. quo ut fides viri in libris manu scriptis legendis eximie versati confirmata est, ita vix dubium mansit, quin si laborem iterum in se ille reciperet, rebus orthographicis nunc fortasse etiam paulo plus quam olim operae impensurus esset. commemoravi hoc, non quod ego orthographicas discrepantias angustis adnotationis meae includi voluissem omnes, nam ne contestatas quidem semper utile putavi adscribere, sed ut monerem in hoc quidem genere non ubique ex Chatelainii silentio concludi posse videri. paucas lectiones quae fugerant probatam collatoris diligentiam interim sic ut in codice exstare monuit H. Lebègue in adnotationem recepi. manus secundae, quae pristinam codicis scripturam saepe depravavit, mentionem fere non inieci nisi ubi adnotationem sic perspicuam magis vel commodam fore existimabam. quam inverecunde corrector et imperite librum atrectarit, luculenter exposuit Chatelain *revue de philol.* I p. 162 s.

Damnum quod **p** fecisse dixi ut quodam modo repararetur, duo alii praesto sunt Parisini, quorum antiquior, quem nota **P** signare solent, n. 8658 A decimi esse saeculi visus est technicis, interim noni Chatelainio *paléogr. lat.* fasc. XIII (Paris. a. 1897) p. 22 et tab. 170, 2. librarii nomen Ragainberti traditur subscriptione folii 128^r quam suo loco dedi (post finem ep. 88), sed huius ipsius ultimi folii 128^r sic ut folii 123 non prorsus eandem scripturam videri atque ceterorum animadvertet, opinor, qui duo quae Chatelainiana tabula offeruntur libri specimina inter se compararit. in folio 3^r legitur *Iac. Aug. Thuani*, quod nomen ansam dedit Chatelainio ad coniecturam de origine libri periclitandam l. c. p. 22, 2 adn. 1. priora decem folia vicenis versibus operta sunt, undetricenis vel tricenis quae sequuntur. salutationis formula non praeposita est nisi epistulis 1. 53—57. 69. 78, inde a. f. 11^r plerumque additur valedictionis (cf. p. 253, 12 adn.). inter singulas solet epistulas modo plus modo minus intervalli relictum esse. tunc libro corroso per ep. 88 (cf. Chatelain *revue de philol.* I p. 149, 1) etiam per-